

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCLV.

VD18 90538919

LXXX. Phil. Conrad. Fabricius Med. P. P. Programma De Fetus Vivi
Extractione Utero Prolapso.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16590

L X X X.

PHIL. CONRAD. FABRICIUS

M E D. P. P.

P R O G R A M M A

DE FETUS VIVI EXTRACTIONE

UTERO PROLAPSO.

Helmstad 22. Novembris anno 1748.



LXX
PHIL. CONRAD. FABRICIUS

M. D. C. C. C. C. C.
P. R. O. C. E. M. M. A.

DE REBUS VIVIFICANTIBUS

ET REBUS MORTUIFICANTIBUS

Hamburg 22. Novembris anno 1742



IN cujusvis hominis generatione & ortu tam a parte matris quam a parte embryonis tot admiranda phaenomena concurrere, ut natura hic quasi se ipsam vincat & superet, *Divinaeque* Sapientiae & Providentiae cujusdam specialissimae vestigia se fortasse per totam sequentem vitam nunquam lucidius quam tunc manifestent, apud peritiores & sagaciores arcanorum naturalium scrutatores & artis salutaris consultos tam unanimi consensu statuitur, & argumentis ab ipsa rei evidentia desumptis & plane invictis cuilibet in dubium vocanti ad oculos adeo distincte demonstratur, ut chartam & tempus inutiliter consumere jure videri possem, si in sterili & ficulnea eorum sententia, qui constantes rerum naturalium fines existere, unamque semper rem propter alteram productam esse hodie in tanta scientiarum luce etiam nunc negare audent, ex firmissimis his principiis refutanda prolixior esse vellem. Sive enim pulcherrimum illum naturae effectum, quo feminis masculini paterni nobilioris particulae interventu corpusculum embryonis in ovulo materno quoad singulas sui partes jamdum quidem delineatum & praestructum, sed sine ulteriori augmento in perpetua quiete & organorum sensoriorum stupore & inertia hucusque perdurans in momento quasi excitatur, animatur & viget, & ad perfecti hominis mensuram & molem usque sensim augetur & crescit, paulo vividius ob oculos nobis ponamus; sive ad notabiles illas mutationes animum nostrum advertamus, sub quibus ovulum ejusmodi faecundatum & a nexu cum ovario solutum a tuba Fallopiana materna alterutra excipitur & ad cavum uteri transmissum ab eo per totos IX menses vel XL hebdomades retinetur, fovetur & nutritur; ubique stupendum sane machinae nostrae humanae artificium menti nostrae sese palpandum quasi offert, majestatemque *Divini* sui Auctoris quam elegantissime nobis patefacit. Quodsi vero harum rerum consideratio in nobis insignem quamdam admirationem perfectionum summi *Entis*, profundamque venerationem ejus in nos benignitatis necessario excitare debet, nisi quidem praerudiciorum pernicacia omnem in animo nostro veritatis pietatisque sensum plane extinxerit; certe modus & ratio, quibus fetus humanus sufficientem partium firmitatem adeptus ex ergastulo uteri materni in lucem deinde vitam egredi solet, adhuc notabilioribus phaenomenis comitatur. Tunc enim ex solo quodam instinctu naturae homo recens nascendus perfectionem suam sentiens corpusculum ita invertit, & talem accurate situm, nemine adjuvante, ut plurimum occupat, ut angustissimas sane vias partium genitalium maternarum sub innumeris alicubi ad ossa circumposita offendendi periculis, moliminibus matris accedentibus, feliciter percurrere, inque diem luminis auras prodire denique queat, adeo ut miraculo proximum viri harum rerum intelligentes semper judicaverint, quod non plures partus infelices quotidie contingant, quam quidem re vera observantur.

Licet autem adoranda quadam pro conservatione generis humani cura

Tom. III.

Iii

sum-



summum sapientissimumque *Numen* hac in re tam sollicitè prospexerit & caverit, ut inter centum & plures partus vix unus & alter contra naturam observetur; permulta tamen tum a parte matris tum a parte infantis acciderent, ob quæ gravissimum hoc opus non semper ad optatum finem vel tamen non nisi summo cum labore perducipotest, sed vel mater vel fetus periculum mortis aut mortem ipsam subire cogitur, prout ejusmodi casuum tragicorum complura exempla celebriores & classici artis obstetricæ scriptores ubique loquuntur, modumque quo vel utriusque vel mater saltem aut infans ex orci faucibus eripiendi sint, uberius ostendunt.

Inter ea vero impedimenta, quæ a parte matris insignem quamdam incommoditatem & formidinem funesti exitus huic negotio inferre valent, procidentia uteri sine inversione, nam altera hujus mali species non nisi fetu jamdum excluso accidit, pro uno ex maxime terrificis omnino reputari debet. Ut enim hæc quoque labes magis extra tempus graviditatis vel brevi post partum, quam in feminis actu gravidis ut plurimum se exferat, quia in his primis gestationis mensibus uterus potius ascendit quam descendit, adeoque haud facile prolabitur, medio & ultimo graviditatis tempore vero ob molem & amplitudinem uteri a sanguine in vasis & substantia ejus coacervato & a fetu incluso insigniter adauctam transitus sub osium pubis arcu non nisi difficillime ei conceditur, quæ hujus morbi in gravidis raritas procul dubio quoque in causa est, cur cautiones sub partu mulierum eo afflictarum observandæ apud auctores scientiæ obstetricæ minus frequenter adnotatæ deprehendantur: casus clinico-practicus statim recensendus tamen abunde comprobabit, quod hoc malum in his, quæ utero gerunt, quoque non plane nunquam occurrat, ubi vero hoc in solatium sexus infirmioris iterum cedere debet, quod tunc non solum omnis evadendi spes minime abjicienda sit, sed etiam, quod potissimum in hoc schediasmate mihi demonstrandum sumsi, dum modo tempestivum auxilium externum non negligatur, partus hic sæpe facilius minoreque cum dolore & vitæ periculo præsentaneo conjunctus esse soleat, quam dum uterus situm naturalem occupat, omniaque maxime ordinario modo procedere credimus.

Femina scilicet quædam XXX. fere annorum, conditionis tenuioris, staturæ mediocris, habitus corporis paulo strictioris, jam tertia vice in parienti necessitate constituta, quæ cum primum fetum excluderet, ultra XXIV. horas quoque doloribus partus insumerat, ante aliquot menses, dum adhuc physici ordinarii munere in patria fungebar, consilium meum sibi expetebat. De natura mali itaque unum & alterum expiscans comperiebam, quod illa jam inde a vespera diei præcedentis in negotio partus frustra occupata fuerit, omnibus doloribus ad id necessariis fere emanantibus, vel tamen valde debiliter & per vices rarissimas recurrentibus, brevique evanescentibus, fetu de reliquo ex affirmatione matris & obstetricis vivo & situ naturali constituto, ac capitis vertice egressum per os uteri materni non nihil apertum moliente, qui vero uterus totus extra abdomen parturientis inde a 2.

mensi-



mensibus sine insigniore violentia externa progressa propendebat, liquorem quemdam mucosum per integrum illud temporis spatium subinde emittens, nec moliminibus obstetricis illum jam sub prima hujus mali exordia reponere conantis cedens. Ulterius deinde instanti mihi & subdubitanti, an fortasse debitus partus terminus nondum advenerit, liquor Amnii die precedente circa vesperam jam dum totus effusus, calculusque parturientis jam non prima vice in hoc negotio occupatae quoad omnia conveniens, omnem haestitationem animo exemerunt. Nullus itaque dubitavi desiderio parturientis, quae medicamentum dolores partus excitans rogabat, singulis momentis rite perpenfis satisfacere, eique aliquot doses boracis Venetae cum vehiculo ex temperatioribus aquis hysteriis syrupo conveniente edulcoratis constante singulo semihorio sumendas ordinavi, utpote quod concretum mere salinum & sine ulla sanguinis exaestuatione tantummodo fibras stimulando operationem suam peragens, spem meam in tali casu hucusque nunquam frustratum est, ita ut myrrhatis, crocatis aliisque pellentibus acrioribus suppressionem lochiorum febresque uteri inflammatorias haud raro inducentibus hucusque facile carere potuerim. Jussi etiam, ut obstetrix doloribus partus hoc remedio excitandis probe attenderet, nec sub illorum remissione laborem continuare parturienti concederet, illis vero urgentibus os uteri antea butyro probe inunctum uno & altero dextrae suae digito immisso modeste dilataret, fetus egressum hac ratione pro virili facilitando, manuque sinistra uterum a capite infantis versus abdomen parturientis repellendo. Suasi praeterea, ut utero sub augmento dolorum se magis aperiente subinde tentaret, an non utriusque manus indice inter caput fetus & parietes uteri materni immisso istud ad aures vel maxillam inferiorem arreptum facta nonnulla rotatione una cum reliquo corpusculo successive extrahi queat, quae vero molimina hac vice successu caruerunt. Ipse itaque parturientem adire, eamque ope mea juvare requirebar, quam quidem in summa rerum angustia deprehendi. In sella obstetricia considens dolores post usum pulveris supra indicati confertim orientes, & satis diu continuantes omni nisu promovebat, nec obstetrix aliquid in sua opera desiderari patiebatur, ore uteri nihilominus haud ultra amplitudinem thaleri minoris se aperiente, ita tamen ut caput infantis adcurate conspici tangique potuerit, uterus vero totus extra abdomen instar urcei vel utriculi propendebat quam maxime rubens & induratus, qui rerum status etiam continuabat, etsi interea quovis momento sacculos ex floribus chamomillae paratos & lacti incoctos praevia expressione utero calide circumponere juberem. Ne itaque vires parturientis frustra perirent, ei lectum adstantem petere illique transversim incumbere concessi, talem tamen situm occupare jussi, ut clunibus & thorace cum capite nonnihil elevatis muscoli abdominales in statum relaxationis redigerentur. Hoc facto, uteroque interea oleo liliorum alborum continuo calide inuncto, os ejus statim insigniter se dilatare cepit, & licet parturiens interea gravi horrore corripetur, adeoque de vita infantis nonnihil timendum videretur,



tamen post iteratum usum pulveris supra nominati a chirurgo, quem arceffere iusseram, & necessariis cautionibus instruxeram, puellus vivus vegetusque sine instrumentorum nocivorum applicatione brevi post supra indicato modo extrahi potuit, qui tamen capite valde acuminato præditus deprehendebatur. Funiculo vero umbilicali una cum secundinis statim extractis uterus collapsus sine impedimento intra vaginam & pelvim retrudebatur, ad quem retinendum corporis requiem, fluxuque lochiorum absoluto pessarium continuo gestandum puerperæ maximopere commendavi.

Quodsi jam integram difficilioris hujus casus historiam paulo generaliore & intentiori contemplatione examinemus statim patebit, quod in hac femina a puerperiis prioribus vagina & ligamenta uteri tam lata, illum ad ossa pelvis præcipue ilei adnectentia, quam rotunda, quorum per annulos abdominales egressorum interventu inguinibus alligatur, insignem quamdam relaxationem & debilitationem perpessa necessario fuerint, alias enim tam profunde uterus descendere, & sinum pudoris penetrare haud valuisset. Hæ tamen causæ per se vix sufficientes videntur, nisi commissura ossium pubis laxior vel totius etiam reliqua pelvis capacitas præter naturam adaucta in hac femina simul concurrerint, sive illa a nativa & vitiosa quadam partium conformatione, sive ab extraordinario & successivo ossium pelvim constituentium secessu deduci debeant. Licet enim extra tempus graviditatis prolapsus uteri, ut supra dictum, tam ob continuam ejus reliquarumque genitalium partium humectationem & relaxationem inde orientem, quam propter imperitiam & violentiam plerarumque obstetricum hodie adeo frequenter in femellis maritatis occurrat, ut prout alii quoque observarunt, & experientia quotidiana confirmat, vix pagus vel minor civitas reperitur, in qua non plures mulieres deprehendantur non solius vaginæ, sed ipsius uteri procidentia laborantes, adeo ut jure mirari quis posset, quod hunc morbum tam diu olim viri harum rerum alias peritissimi in dubium vocaverint, cum tamen cuilibet uterum in cadavere feminino in situ naturali contemplanti & anatomice scrutanti statim in oculos incurrat, quam laxè & minus firmiter ille cum partibus circumjectis jungatur: graviditatis tamen tempore & præcipue sub ultimis gestationis mensibus, ut in nostra parturiente accidit, ejusmodi descensus uteri ob rationes supra allegatas vix aliter quam cum claustrorum ossæorum apertura vel amplitudine pelvis extraordinaria quadam conjuncta concipi facile poterit.

Postquam vero quacumque ex causâ uterus cum fetu incluso semel extra pelvim elapsus fuerit, quilibet sane perspicit, quod deinde termino partus ingruente hic omnia expeditius & minori cum difficultate procedere debeant, quam si ille in situ naturali adhuc hæreret. Dum enim infans in ejusmodi utero limites transgresso contentus exitum molitur *Primo* non amplius periculum incurrit ad ossa pubis, ilei ischiique vel coccygis alicubi offendendi, quod plerorumque partuum difficiliorum primaria causa est, etiam si fetus de reliquo naturali modo egressionem tentet, sed vel capite vel humeris
leviter

leviter saltem ad latus declinet, aut nimis torosus sit, debitave pelvis capacitas in matre ex vitio connato deficiat, osque sacrum & coccygis nimis introrsum curvetur. *Secundo* manibus obstetricantis in ejusmodi casu inoffensus conceditur accessus, ut uterum remediis oleosis probe inungere osque ejus digitis immixtis dilatare, vel apertura sufficiente sponte infecuta fetum sine labore extrahere valeat, si situm perversum ille occupet, repositionem ejus, ut artis est, sine mora prius peragendo. Nemo vero ignorat, quam magnæ sæpe difficultatis, & quantis cum parturientis doloribus conjunctum sit, unum vel alterum tantum digitum & integram denique manum per partes genitales exteriores usque in uterum debito loco intra pelvim hærentem immittere, iisque fetum male dispositum prævia repositione extrahere, dum v. gr. vagina tumore inflammatorio vel scirrhuso correpta aut cicatricibus obsita est. *Tertio* hæc commoditates non eo solum tempore locum habent, dum embryo vivus & vegetus est, sed etiam dum intra uterum hærens diem suum præmature obiit, potissimum utilitate sua se commendant. Hic enim cuilibet practico pariter notum esse debet, quanta vi ab utero se in pristinum statum restituere conante ejusmodi fetus mortuus nihil amplius resistens conglomerari & ad ossa pelvis impelli soleat, ita ut tunc sæpe omnes fere encheireses & operandi regulæ ab artis obstetricæ antesignanis suppeditatæ eclipsin patiantur, virtusque boni obstetricantis nunquam magis quam illo potissimum tempore se cognoscendam præbeat, quo nulla prope modum follertia & vi fetus angustiis uteri & pelvis impactus vel leviter saltem moveri, multo minus vero in situm convenientem restitui & extrahi integer illæsusque potest, sed frequenter admodum & quidem non sine periculo partes circumjectas maternas simul lædendi tantum non discerpi debet, ut matris vita servetur ipsæque a periculoso ejusmodi onere liberetur. Omnia vero hæc impedimenta in parturientibus pari cum nostra uteri conditione præditis omnimode cessant, cum, ut supra monui, obstetrix ambabus manibus negotium in eis libere aggredi, fetumque adeo sine impedimento & pro lubitu vertere, & denique eximere illæsum queat, quemcumque etiam ille situm antea occupaverit.

Hoc vero quoque simul quilibet æquus rerum arbiter concedat oportet, quod tunc omnis uteri callositas vel cancer aut gravior inflammatio aliave causa ejus dilatationem impediens, quales vero constitutiones morbosæ sub diuturniori hujus mali duratione facile contrahuntur, abesse debeat, alias enim non posset non vel levissimum obstetricantis molimen in ejusmodi parturientibus syncopen, convulsiones, gangrænam & alia symptomata funesta excitare & unumquemque ab ulterioribus conatibus deterrere, omniaque consilia irrita & frustranea reddere.

Paulo lentius hoc negotium hic quoque ut plurimum procedere solet, præcipue si fetus præmature fato functus fuerit, adeoque motu suo opus adjuvare nequeat, quia uteri extra abdomen propendentis vis expulforia ad fetum sponte eliminandum summopere necessaria tunc ut plurimum per se



debilior deprehenditur, tam ob refrigerationem externam, quam propter nimiam & doloris plenam fibrarum ejus tensionem vasorumque sanguiferorum & nervorum uterinorum strangulationem. Præterea vero ab actione diaphragmatis & musculorum abdominalium adjuvari hic labor tunc amplius nequit, utero prolapsò penitus extra contactum eorum posito: prout in nostra puerpera ab intensissimis quoque laboribus initio parum vel nihil plane in apertura oris uteri adaugenda effectum fuit.

In hac quoque uteri conditione melius est, ut femina lecto supra indicato modo incumbens pariat, quam ut fellæ insideat. Hoc ultimo enim casu mater quidem exitum infantis conatibus suis fortius promovere potest, pondus vero uteri & embryonis propendentis adauctum constrictionem spasmodicam fibrarum uterinarum necessario simul intendit, quæ itaque os uteri magis occludunt quam referant. Parturiente vero modo dicta ratione in lecto constituta os uteri successively sponte se aperit, spasmique vagi statim remittunt, ita ut justo temporis articulo expectato fetus denique a quavis adstante muliercula sine difficultate extrahi queat. Eamdem ob causam a præmaturis conatibus obstetricans hic eo magis abstinebit, præcipue si os uteri nondum sufficienter ampliatur deprehendatur, multo minus vero hoc negotium impetuose & violenter tractandum est, quia alias disruptio uteri vasorumque ab hypogastricis potissimum ad eum ablegatorum certo certius timenda esset.

Et hæc singula rite perpensa abunde denique, ut opinor, comprobabunt, quod parturientium labes, cujus naturam hucusque exposui, ratione fetus haud adeo formidabilis sit, sed re tempestive & perite aggressa sine sanitatis & vitæ detrimento ei sub hac quoque uteri materni conditione exitus in lucem parari queat, licet de reliquo illa intuitu matris complura pericula adferat, dum repositus post partum uterus ob insignem vaginæ reliquarumque partium annexarum relaxationem tonumque fibrarum penitus destructum, levissima causa externa accedente, facillime rursus excidere & supra recensita symptomata quin ipsam tabem & mortem denique inducere solet, nisi quidem prudenti cura & regimine adhibitis hæc singula præcaveantur.

DISSER:



LXXXI.

DISSERTATIO

CHIRURGICA,

DE

CAPITE INFANTIS ABRUPTO,

VARIISQUE ILLUD EX UTERO

EXTRAHENDI MODIS.

Quam tuebatur

JOAN. CAROL. VOIGT,

GIESSENSIS.

Giesſæ 6. Septembris anno 1743.

